Q. D. B. V.

MEDITATIONES
AD
IVRA IN VICINI ARTIFICIS FORNACEM AERARIAM

MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS
CONSENSV
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTVNT
PRAESES

DN. Gottlob THOMASIVS,
PHIL. ET I. V. D. ATQVE PRACT.

ET
AVCTOR RESPONDENS

IO. CHRISTIAN MEERHEIM
MARTISB.

D. XI. CAL. IVNII A. R. S. MDCCXXXVIII.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

BENEVOLE LECTOR!



Ihil saepe ciuibus intra parietes etiam proprios, tutum satis, nihilque ab omni molestia et periculo vacuum plane esse, tot casus, qui aedificiis illorum, vel ipsam tandem ruinam iterum iterumque minitantur, loquentur. Hos inter merito referas licet illum, quando paries inter vnam atque alteram interiacens domum non quidem ligneus ille, sed lateribus bene firmatus, admotis ex vicini latere ignibus, identidem adeo incalescit, vt ligna proxima tignaque immissa post medium noctis adurantur, et ignis hucusque latens fumusque ab iis, qui ante medium noctis requiem nondum ceperant, non detectus, sed vicini aperturas vltra binas horas insciis illis etiam postea occulte quaerens, in flammam tandem subito erumpat tristissimam. Talis inquam, quem inueneris casus, tempore nocturno et ante auroram improuisus, atque etiam, cum demum mane strepitum faceret modicum, hyemali tempore non pro suspecto, sed pro solito habitus, sicque adhuc a quasi dormientibus vsque ad extremum modici strepitus exitum inopinatus, occasionem in praesentiarum nobis subministrauit, quaestionem mouendi a nemine hactenus quidem delineatam, haud tamen superuacaneam: *Quid scilicet de fornace aeraria, (non chymici, sed opificinae) parieti intergerino, inscio vel inuito illo, cuius domus proxime adstructa et apposita, ex iure statuendum sit?* Vtque huius tractationem, Lector Beneuolus, aequi bonique consulat, est, quod enixe optamus. Faxit Deus feliciter. *Prooemium.*

§. I.

AN *miles* Legis *Aquiliae* teneatur *actione*, si *quendam extra vallum priuilegiatum latitantem, dum arma tractat, improuiso occiderit*, nuper sub incudem vocauit quaestionem DN. PRAESES meus. *a)* Nunc vero aliam et satis dubiam, haud tamen inutilem, mouet mecum, quam cum Lectore nostro communicare iuuat, quaestionem. Quaeritur nimirum: *An vicinus opifex parieti, qui inter duo aedificia contigua ducitur, inscio, aut inuito suo cohabitatore (vt ita loquamur,) fornacem aerariam affigere, vel apponere possit, ita quidem, vt damnum alteri inde exortum nec resarcire debeat, neque de illo infecto conueniri possit, si scilicet metuendum sit, ne per ignem proximae laedantur aedes?* Ne autem pro fabula rem habeas hanc ficta et commentitia, en nouum, quo existentiae eius confirmatur exemplum: Inter aedes Caii et Sempronii paries quidam erat communis et latericius, in cuius parte solida, quam vocant die Futter-Mauer, crassities vnius pedis (von einer halben Elle) deprehendebatur, vbi autem crassissimus et fornicatus in vtroque aedificio esse incipiebat, (h.e. in Pfeilern und Bogen) latitudo eiusdem ad duos sese pedes extendebat. Ad hunc itaque murum Sempronius (non chymicus, sed aurifaber copiosissimus) inscio quidem et inuito Caio fornaculam immediate applicauerat suam aerariam, nil cogitans de tignis, quae ab altera aedium adiacentium parte vsque ad dimidium parietis illius intergerini pertingebant. Cum vero murus ille grauitate sui oneris et ductu temporis bifidus per scissuram aliquam antea factus esset,

Casus.

a) Erörterung der Frage: Ob ein Schütze rechtlich könne belanget werden, wenn er an gewöhnlichen Schieß Ort sich im Schießen übet, und einen vorbeygehenden ohne ihn sehen und wissen zu können, entleibet? Leipzig, bey Langenheimen, 4to A 1737 editam, postquam *de cautelis aduocatorum circa formulam probandi:* Wahr *saepe nocinis* differuerat; dissertationibus enim illius reliquis *Bibliothecae iuridicae* spectatissimi IENICHII insertis, vltimam recensent eruditissimi auctores des Juristischen Büchersaals, Leipzig, bey F[illegible] 1737. 8uo. P I p. 7[illegible]

eſſet, adeo, vt tunc continua et vehemens in fornacula aeraria ignis flamma ad tignum quoddam vsque, quod dicitur der Unterzug, calore ſuo et per ſciſſuras eo facilius penetrare potuerit; hinc factum eſt, vt tandem toſtum parieti immiſſum tignum ignem conceperit, et nocturno hybernoque tempore abſconditum, cumque nullus adeſſet, qui prohiberet, flamma eruperit, eo quidem in loco, qui rebus ad incendium aptis abundabat quam maxime,quia hic locus tutus credebatur. Vnde Caius facile per Sempronii culpam iacturam bonorum ac rei familiaris ſuae facere debuiſſet inſignem. His, quae nuper admodum euenerunt, enarratis, ad ipſum, quod ſuſcepimus opus nos accingimus, propoſitam antea quaeſtionem dilucidius examinaturi.

§. II.

Nihil vetuſtate incertius. Hinc non videmus, quomodo inter *Fragmenta LLum XII. Tab. b*) referri poſſit locus VITRVVII, *c*) praeprimis ſi eum, vti GEORG MARSMANN *d*) opinatur, de pariete *intermedio* intelligamus, in verbis: LEGES PVBLICAE (quaenam vero, an Graecae, an Romanae? ipſe tacet, LLbus autem XII. Tabb. id abſolute tribuere non audet) NON PATIVNTVR MAIORES CRASSITVDINES, QVAM SESQVIPEDALES CONSTITVI LOCO COMMVNI. *Caeteri autem parietes*, (fortaſſis ſolitarii) *cum ſpatia anguſtiora fierent, eadem craſſitudine* (verſus plateas vel ambitum) *locantur;* hic locus enim nobis in ſequenti ratione magis adhuc dubius videtur in verbis: *Latericios vero* (ſcilicet fortaſſe intergerinos inter vnum alterumue conclaue) *niſi diplinthii* (h. e. duobus ordinibus laterum iunctis, v. g. duorum pedum Electoralium Saxonicorum) *aut triplinthii*, (h. e. ex tribus lateribus compoſiti, v. g. trium pedum) *fuiſſent, ſeſquipedali craſſitudine non* *Examen Antiquitatum.*

 potuiſſe

b) *Tit. XII. c. 7.* *c*) *L. 2 c. 8.* *d*) quondam Vangionum, Reipublicae tandem Inclytae Budiſſinorum Ciuitatis Syndicus *in METROLOGIA pag. 55.* Ienae 1674. 4to edita.

potuisse plus quam vnam contignationem sustinere. Constat *lateres*, ex quibus extruebantur aedificia, diuersarum fuisse longitudinum. Hinc PLINIVS *e*) *Genera*, inquit, *laterum dantur tria*, DIDORON, (quo Romani quoque, ast tantum in priuatis aedificiis) vtebantur, *alterum tetradoron, tertium pentadoron.* Verum enim vero aliis examinandum hic relinquimus; an iuxta VITRVVIVM *f)* et PLINIVM didoron, (quo genere teste PLINIO Romae communiter vtebantur priuati) longitudine non *Semi*pedale, (Sicque non quadrum, duorum nempe palmorum *minorum*) sed *sesqui*pedale, (h. e. duorum palmorum *maiorum*, tetradoron vero, (a priuatis, iuxta PLINIVM, haud vsurpatum) non pedale, (vti Saxonicum) sed multo longius fuerit? anque hinc quiuis paries, siue is *communis* fuerit, in nostro sensu (*g*)) siue *solitarius*, non nisi *sesqui*pedalis Romae extiterit, atque sic paries *pedalis* nullo modo extrui potuerit? hoc nos edoceri optamus. Ad minimum eorum ratio, qui prohibitionem factam esse referunt, *ne murorum solitariorum crassitie platearum spatia fierent angustiora h)* concipi non potest; quoniam non credibile est, olim vnicuique licitum fuisse pro lubitu limites fundi sui per plateam et ambitum ampliare, *i*) si aedificando parietem vltra limites fundi plateae imponeret, vel ambitum *k*) coarctaret, imo et haec ratio statim corruisset, si ciues Romani tunc non in plateam et ambitum crassitiem suam sesquipedali maiorem contulerint, sed, ne inde ciuitatis eueniret deformitas, si quaelibet domus prae altera emineret, tandemque platea et ambitus plane consumeretur, in suas aedes crassitiem receperint largiorem, quis quaeso hanc prohibuerit? Talis enim crassities in proprio fundo eo minus prohibita videtur, quo minus alias VITRVVIVS etiam

e) *L. 35. c. 14. hist. nat.*
f) *L. 2 c. 3.* (cuius Versio Germanica Norimbergae, A 1548. in Fol. prodiit.)
g) *vide infra §. 6. et 8.* *h*) B. MARSMANN *d. l.* *i*) *a. l. 12. §. 1. C. de aedif. priu. et a. l. 1. §. 2. ff. de via publ.* *k*) *v. §. nostrum sequentem.*

iam fere parieti vnicuique in fundo proprio inter hoc vel illud conclaue intergerino sesquipedalem vindicare videtur crassitiem, per verba: *ceteros autem parietes, ne spatia forent angustiora, eadem crassitie collocari.* Sique DD. nunc ad coarctatam recurrunt aedificia vltra legitimum modum extollendi licentiam, quoniam nimirum sic paries *latericius*, nisi diplinthius aut etiam triplinthius, non possit plus quam vnam contignationem sustinere, indeque ius extruendi palatia forsitan impetrandum fuisset: Ratio horum quoque Scriptorum omnibus numeris absoluta non est, sed sibi ipsi contraria; si enim distinguamus tempora diuersa, quorum non nisi sex occurrunt, (vti hoc eruditissime quondam docuit sub praesidio Illustris Gottfried Ludwig MENCKEN celeberrimus Christian Wilhelm POEPELMANN,) *l)* tamen nullam legem neque antiquam neque nouam de *crassitie* inuenimus; nam sub statu Regio et paulo post egeni ciues non cogitabant de crassitie superflua, neque de aedibus suis ligneis *m)* altius tollendis, sed forsitan tantum per moeniana *n)* ampliandis, cur tunc prohibitione opus fuisset? *Secunda* autem aetate i. e. in statu populari et LLbus XII. Tabl. latis, nondum de *crassitie* certum aliquod, nec de certa altitudine dispositum reperimus, quia tunc probabiliter ligneis parietibus sunt vsi vsque ad tempora Neronis: Si enim tempore LLum XII. Tabl. parietes non lignei fuissent, cur opus fuisset ambitu? Quomodo quoque incendio Neronis tres regiones vrbis solotenus deiici potuissent? *Tertia* aetate et quidem tempore AVGVSTI, nihil quoque adhuc deprehendimus, quod *crassitiem* iuxta plateam vel ambitum in pariete solitario quae VITRVVIO sine dubio dicitur communis exhiberet, potius ab hoc Imperatore, teste MENCKENIO nostro, lata est lex, ne quis supra pedes septuaginta aedificaret, ex

l) *Disp. non dari servitutem altius non tollendi.*

m) teste Illustri *Ioh. Gothofredo* HOFFMANNO *V. 2. Histor. Iur. p. 247.*

n) conf. *Fragmenta LL. XII. Tabb. Corpori Iuris Rom. Dionysii* GOTHOFREDI addita.

ex quo fluit: quod illius tempore parietes plus vna contignatione sustinuerint, et sic non fundata sit, quae VITRVVIO affingitur ratio, qua *crassities* sesquipedali maior legibus XII Tab. in solitario pariete prohibita diceretur. Nero vero priuata aedificia, per omnia palatiorum instar extrui iussit: *o) vnde hic crassitiei* cuiusuis indulsit. *Quarta* aedificiorum aetate, nempe post Neronem VESPASIANVS Romam nitori suo aedificiorum antiquo restaurare allaborauit, donec TRAIANVS septuaginta pedes ad *sexaginta* reduxit. *p*) Si autem paries solitarius sesquipedalis (ex mente fortasse VITRVVII) non quidem *septuaginta*, attamen sexaginta pedes in perpetuum ferre potuit, licet *communis* sesquipedalis ex VITRVVII forsitan vera sententia vnam tantum sustineat contignationem, sequitur, quod hisce temporibus, neque parietis *communis*, neque solitarii *crassities* ad formam reducta fuerit *sesquipedalem.* Temporibus vero reliquis recentioribus et imprimis IVSTINIANI facta non est reductio crassitiei, cum altitudinem sexaginta pedum in *crassitie* sesquipedali non durasse, ex ipso VITRVVIO edoceamur; E. hae leges ex VITRVVIO allegatae, aut Graecae fuerunt, aut mere fictitiae. Imo haec interpretatio VITRVVII Legibus Romanis e diametro est contraria. *arg. l. 52. §. 13. ff. pro socio. q*) Intergerinus ad onus quippe ferendum habilis est, licet a duobus vicinis grauius quoque vel impositum sit, vel imponi debeat onus, cum quiuis vicinorum *semipedem* tantum ad eum contulerit, totusque paries vnius solum fieret pedis. Nos ergo ita concludimus: Si iuxta *d. l.* vicini tantum *semipedes* inter se conferre potuerunt, *vt ibi cratitium* (sine dubio) *murum inter se aedificarent ad onera vtriusque sustinenda*, sequitur 1) extitisse etiam apud Romanos, si non lateres quoque semipedales tamen fortassis (prout diuinare licet) pedales, 2) Si pedalis intergerinus diuersorum aedium onera plurium contignationum ferre potuit, sequitur: quod multo magis paries *sesquipeda-*

o) Dn. MENCKE *d. l.* p) *Idem.* q) *vide §. nostrae diss. sequentem.*

pedalis, qui DDbus dicitur *communis*, plures ferre potuerit contignationes, E. ex VITRVVIO atque PLINIO minus recte petita sententia adeo firma non est, vt pro Fragmentis XII. Tabb. sit recipienda. An vero *pes* Romanorum longitudine aequalis fuerit nostro Lipsiensi, quem dicimus eine halbe Elle? an vero, si Romanorum *pedem* ad nostrum reducamus, pars quaedam nostrae *vnciae* plus aut minus sit? anque ducenti pedes Lipsienses tantum 190. et $\frac{75}{100}$. Romanorum pedes efficiant? occasione huius textus quaestio exsurgit praeiudicialis Geometrica.

§. III.

Pedum igitur hic et alibi in iure nostro, imo frequentissima fit mentio, ita, vt si saltem ab ipso totius Romani iuris fonte, LLbus nimirum XII. Tabb. rem auspicamur, statim palam fit, earum fragmenta saepissime *pedum* quoque meminisse, v.g. si legitimam viae atque itineris latitudinem determinarunt. Quantum autem inter vrbana aedificia relinquendum fuerit spatium, in hoc variant iura nostra ciuilia. Olim quidem tempore LLum XII. Tabb. erat pes *sestertius* hoc est spatium duorum pedum cum semisse, vnde FESTI *de V. S.* extant verba: *Ambitus proprie dicitur inter vicinorum aedificia locus duorum pedum et semipedis ad circumeundi facultatem relictus.* Hinc de hoc sestertio, (siue quasi *semis* tertio pede) paucis explicanda venit *l. 14. ff. de S. P. V.* Imperatores ANTONIVS et VERVS *Augusti* r) *rescripserunt, in area, quae nulli seruitutem debet, posse dominum, vel alium voluntate eius,* quamuis area per mille annos steterit inaedificata, *intermisso saltem legitimo spatio a vicina Insula, libere aedificare.* In hac enim lege *Insulae* appellantur *aedes, quae pariete vel communi, vel se immediate tangentibus parietibus non cum vicinis iungebantur, sed ambitu cingebantur.* Vti enim terrae, quae vndique aquis circumdantur, *Insulae* dicuntur, sic aedificium separatim situm atque libero aëre circumdatum *Insula* dici solet. Cum vero

de domuu mitibus,

r) conf. de hoc *titulo* elegantissimas obseruationes, quae hic An. 1736. 4to bey Trogen prodierunt, sub titulo: Gründliche Auszüge aus denen neuesten Disputationibus, 3tes Stück, p. 183.

vero haec aedificia proprio ſuo circuito conſtantia olim pro tutioribus habita ſint ab incendiis, hinc *Neronem* refert TACITVS *s*) *conſtituiſſe, vt nulla diſtinctione, nec paſſim erectae domus, ſed dimenſis vicorum ordinibus et latis viarum ſpatiis non communione parietum, ſed propriis quaeque muris ambirentur*. Sed quantum illud priuati ambitus ſpatium fuerit, id ſine dubio ex ſuperioribus LLbus XII. Tabb. conſtat; hocque de iure antiquo inter aedificia tam publica, quam priuata relinquendum ſpatium leges recentiores amplius et quidem cum diſtinctionibus extendunt *in l. 9. 11. et 12. C. de aedif. priu.* *t*) Aſt cum iſta iura ambitus omnia, tam antiqua, quam nouiora, moribus noſtris non recepta, ſed ſublata ſint; *u*) hinc nobis non conuenit in re fruſtranea eſſe prolixiores; praeſertim cum in oppidis interdum adhuc hodie aedificia antiqua videamus, quae in ſecunda, imo quoque tertia contignatione, et ad ſummum vsque faſtigium pariete proprio pedali, et vbi fornicatus eſſe incipit, duplicato pede gaudent, quod inde per imitationem boni inſtituti eueniſſe, non prorſus improbabile eſt, niſi forte magis ſecuritatis, aut perpetuitatis gratia, tanta craſſitie parietes ſint conſtructi; praeprimis, vbi aedibus interuallum *legis vlt. ff. fin. regund.* datum eſt, quod adhuc hodie Lipſiae quoque inter aedes antiquas paſſim deprehenditur, *x*) atque per quod tubuli fumarii eapropter interdum ducti ſunt, vt ſtatim pateat, a quonam ſpatium illud fuerit relictum. Quantum autem inter ſingula aedificia ſpatium, poſt ea tempora relinquendum fuerit, in ſingulis fere prouinciis et ciuitatibus, aut ſingularibus ſtatutis publica definitum erat authoritate, *y*) aut non. Tunc enim, vti hodie, libere iuxta et prope ad ipſum etiam vicini communem parietem immediate aedificare parietem directum, cuilibet in ſuo licebat, quamuis ab imo fundo iungendo tollatur omne, quicquid vltra perpendiculum eminet, vel facto

vel

s) *L. 15. c. 43.* conf. Erdmann Uhſens *Vniuerſal-Lexicon. V. 2. p. 223.* voce: Rom.

t) OLDENDORP: *Claſſ. 3. act. 4. quaeſt. 1. in f.*

u) c. *Simon a* GROENEWEGEN *de LLbus abrogatis in l. 9. et 11. C. de aedif. priu.* BRVNNEMANN. *in d. t. C. n. 12. 13.* *Petr.* MÜLLERVS *Diſp. de interſtitio, theſ. 11. 12. et 13. theſ. 23. 24.* *x*) c. *infra §. 4.* *y*) BRVNNEMANN. *d. l. n. 18.*

vel casu; z) quia sic paries vicini fortior euadit; cum vis vnita maior sit dispersa; imo, licet vicini omnia obscurentur lumina *a. l. 9. ff. de S.P.V. l. 8. et 9. C. de seru. et aqua.* Vnde contra recentiores semper domus hodie in plerisque Italiae, Galliae et Germaniae ciuitatibus contiguas, nullisque interuallis distinctas cernimus. Hinc quod in *Statut. Lips. §. 17. 18.* de pariete communi, et in vtroque aedificio fornicato, in verbis: Will ein Mann an seinem Förder-Hause die Quermauer oder Brandgiebel bauen, solche steinern machen, so soll sein Nachbar angesucht werden, daß er solche Scheide-oder Quermauer auf gleiche Kosten und auf ihr beyder Raum wolte helffen aufführen, mit beyderseits Schwibbogen, damit sie beyde derselben zugleich gebrauchen mögen. Wo denn der Nachbar die Kosten mit zu tragen und zu bauen sich verweigert, so soll er schuldig seyn auf seinem Grunde biß oben aus dem Bauenden also viel Raums zu gestatten, daß er die gantze Quermauer darauf bauen und aufführen möge, auf seine Unkosten alleine, olim sancitum est, adhuc hodie obseruatur, *a*) hoc tamen de superficie intelligendum non est, vti hoc monuit Dn. PRAESES. *b*) Inueniuntur deinceps adhuc hodie interdum spatia, inter duas aedes ex diuersis plateis a tergo vicinas, per quae aqua superflua in riuo deducitur, (quae dicuntur Schlippen) de quibus iterum non loquimur. Verum enim vero praeter dicta Statuta Lipsiensia, hodie per totum terrarum orbem, qui modo inhabitatur, domibusque exornatur, ne vllus quidem reperitur vicus, nullaue ciuitas, vbi non passim communes parietes habeantur, horum itaque qualitates penitius explorandae sunt. Cum in specie statim PYRRHVM *Anglebermeum c*) testem producere possimus, quod iam olim in vrbe ac suburbiis Aurelianensibus omnes plane parietes inter vicinos vsque ad decimum

 altitu-

z) *a. l. 29. §. 1. ff. ad L. Aquil. j. l. 27. ff. si seru. vind.*
a) spatium determinabit, *d. l. 52. §. 13. ff. pro soc.*
b) *Obseru. Misc. th. 9.* A. 1731. ventilata.
c) *in Consuetud. fol. 1598.* editis vna cum BOIERI *Consuetudinibus Bituricens. ex recensione* GOTHOFRED *1c. XI. art. 196.*

altitudinis pedem fuerint ad immittendum communes, (ibi: -- *ville et Fauxbourgs d'Orleans touts murs sont communs entre voisins jusque a neuf pieds cestassavoir deux pieds en terre, et sept pieds au dessus des terres, qu'il n'a titre ou marques au contrair.*) In Italia communionem quorundam parietum satis antiquam esse, tam ex Iure Ciuili, quam ex *Hect.* FELICIO *d*) colligimus, quia imprimis Veronae eam iamiam An. 1563. studiose excoluit CAEPOLLA; *e*) et de consuetudinibus Bononiae et Paduae obuiis *Ang.* PERVSINVS (a CAEPOLLA *d. l.* allegatus.) De aliis et ciuitatibus, et regionibus adeantur alii. Sic de parietibus intergerinis, vt forsitan communes euadant per totum Electoratum Saxonicum Mand. Gen. d.d. 7. Febr. 1719. promulgatum *f*) ita disponit: Die neuen Häußer, wo es sich thun lassen will, sollen steinern, und mit Brandmauern darzwischen aufgeführet werden. Ratio sine dubio est, quia parietes, qui dicuntur Riegelwände, imo quoque illi cratitii qui dicuntur (Ausgestackte) saepe incendiis occulte causam praebuerunt, vnde, sublatis hodie vbique *insulis* aliisue fere spatiis intermediis, facile apparet, quaestionem nostram tam in iudiciis Germanicis, quam Gallicis et Italicis posse aliquando ventilari, quo propiora enim contentionum sunt semina, quoque propiora aedificia, eo quoque facilius et frequentius oriuntur vicinorum tam controuersiae, quam incendia. Vnde colligimus, quod propter lites, cum distinctione dominiorum, aedificatione statim ac coniunctione domuum, limites, tam in vrbanis, quam in rusticis praediis ab initio terminis quibusdam, postea sepibus, (imo parietibus) tandemque muris in perpetuum subsistentibus fuisse circumscriptos, ne vicinitatis iuribus veluti in communi centro concurrentibus necesse sit, quotidianis disceptationibus vicinos iudicesque fatigari, *quas enim lites vulgo excitare solent iura seruitutum, eas haud raro libertatis iure moueri videmus inter vicinos, qui vel seruitutem aliquam fingunt,* vbi tamen

d) *Tr. de communione c. 28 n. 20. seq.*

e) *Tr. de seru. Pr. Vrb. c. 64. n. 8.* conferatur Illustris HOFFMANNVS *d. l.*

f) *C. A. V. 1. p. 1885 seq.* §. Die Schindel ic.

men nulla eſt, vel ſi qua eſt, eam omnibus modis declinare ſtudent, vt, ſi vnquam, certe hoc caſu iudex ſuam diſcretionem exercere habeat, verba ſunt CARPZOVII. *g*)

§. IV.

Ciuitatibus relictis contemplabimur etiam ſtructuras ruſticas. *Spatio inte* Quantum nempe ſpatium de iure ciuili relinqui debeat, ſi *fornacem.* in confinio ruſtici praedii aliquid exſtruatur, explicat GAIVS *in l. vlt. ff. fin. reg. Sciendum eſt in actione finium regundorum illud obſeruandum eſſe, ſi maceriam, pedem, ſi vero domum, pedes duos relinquito.* Hanc legem quidem ad praedia vrbana quoque ſpectare exiſtimat CAEPOLLA *h*). Verum enim vero cum rationibus ſolidiſſimis hoc negat *Gregor.* THOLOSANVS, *i*) (ſecus de voluptuariis altis in pagis v.g. Luſt-Häuſer). Imo *c. l. vlt.* nullibi fere nec in ruſticis ſemper, nec in vrbanis *k*) praediis hodie obſeruatur. Vnde quantum ſit relinquendum ſpatium, inſtituta et conſuetudines locorum nunc quidem venirent attendendae, *l*) ſi modo quaedam nobis adeſſent. CAEPOLLAE enim et THOLOSANI diſceptatio in praxi hodierna exiguae forſitan eſt authoritatis, ius autem prouinciale Saxonicum quantitatem interſtitii praediorum ruſticorum in quibusdam caſibus tantum exponere videtur *m*) cum verba: Backofen, *n*) und Ofen ſollen drey Fuß von dem Zaune ſtehen, non de pariete latericio, ſed de cratibus loquantur, atque proinde ratio ſanctionis huius VITRVVIO *o*) ſatis conformis ſit, vbi *ſe velle dicit, ne inuenti quidem eſſent parietes cratitii*, quippe qui *in cratis modum lignis contextis compoſiti ſunt, quantum enim celeritati et loci laxamento proſint, tanto maiori et communi eſſent calamitati, quod ad incendium vti faces ſint parati, adeoque ſatius eſſe et impenſa teſtaceo-*

g) *P. 2. dec. 108. n. 1.* *h*) *De S. P. V. c. 40. n. 2.*
i) *Syntagm. iur. vniu. l. 4. c. 7. n. 19.* *k*) *c. §. praeced.*
l) BRVNNEM. *Comment. ad ff. d. l. vlt. fin. reg. in med.*
m) Landr. *L. 2. a. 51.* Weichb. *a. 123.*
n) c. Celeberrimi noſtri *Gottlob Aug.* IENICHEN *Bibliotheca Iuridica* voce: *Furnus*, et *Paries communis. Ignis. Incendium. Opifex.* et *Balthaſar* SPECKHVHN *de cura et culpa circa ignem.* Martisb. 1679. 4to. *o*) *L. 2. c. 8.*

ſtaceorum in ſumtu; quam compendio cratitiorum eſſe in periculo. Quamobrem hoc ius prouinciale ad ciuitates primo intuitu non pertinere videtur, niſi eadem ratio illud vrgeat. Aſt lege non diſtinguente, nec noſtrum eſt diſtinguere. Porro ex his textibus colligit *Matth.* WESENBECIVS, *p*) quod ius Saxonicum inter confinia in genere iubeat ſpatium trium pedum relinquere, et ſic, quoad menſuram diſcrepet a Iure Ciuili, cum de Iure Ciuili ſufficiat, ſi conſtructurus fornacem ad murum proprium iuxta vicini parietem, vnum pedem tantum ſupra murum relinquat. *q*) Hoc ſpatium vnius pedis ratione furni iuxta parietem communem vel vicini requirit etiam *Io. Friedr.* KOCHEN *r*) ita tamen, vt furnus iuxta murum debilem non ponatur. Imo exiſtimat, poſſe aliquem iuxta vicini murum paruum quendam proprium conſtruere, atque huic furnum parare, modo murus proprius vicino parieti non inhaereat, ſed paruulus murus legitime diſtans, ac murum communem rite defendens ſtruatur. *s*)

§. V.

pedis longitudine.

Quaeritur itaque ex Architectura, quid et quantus ſit pes? Ad hoc ſatis erudite reſpondet *Georg.* MARSMANN *t*) *Accedimus iam ad pedis expoſitionem, qui oritur et componitur ex digitis tanquam ex principiis primis, et conſtat norma pedis Geometrici Romani legalis digitis 16. (vel vnciis 12.) ſiue conſtat ex 4. palmis minoribus (Germanice* ein Werckſchuh, ein Schuhmaß,)atque huius et COVARRVVIAE nec non reliquorum opinionem veriorem ducimus, quam GLOSSAE in *can. ſicut antiquitus 17. quaeſt. 4. u*) eorumque diuiſionem, qui in numero errantis GLOSSAE authoritate ſeducti pedem ſcripſerunt digitorum eſſe quindecim. Quomodo autem tunc *ſemipes* ex principiis naturalibus deduceretur, cum XV. diuidi com-

p) *in paratit. ad ff. fin. reg. in fine.* *q*) CAEPOLLA *in tr. de ſeru. vrb. Praed. c. de fornace 51. n. 2.* conf. MÜLLER. *diſp. cit. theſ. 53.* *r*) *Tr. de iure viciniae P. 3. c. 5. n. 13. et 18.* *s*) Landr. *d. l.* *t*) *d. l. p. 21.*
u) IOACH. MYNSINGER. *ad §. qui autem. I. de Exc. tut.* et IO. SCHNEIDEW. *ad §. datus. I. d. t.*

commode nequeat in dimidium, sedecim vero a natura habeat proportionem dimidii? *x)* Erit itaque nobis mensura pedalis (vti olim quoque) longitudo digitorum minorum sedecim *y)* Maiorum vero s. pollicum duodecim, qui Latinis forsitan vnciae (Germanis Zolle) appellantur: eaque non ab vnoquoque indiuiduo, *z)* sed, vti in quouis loco ius illud praescribit, intelligenda est. Dissentiens dicitur IOANN KOEPPEN, *a)* minores confundens cum maioribus digitis. Ast pedem forsitan statuit esse 12. digitorum sc. Mechanicorum. An vero quiuis horum quatuor hordei grana contineat, nec ne? hoc non exploraturi sumus, sufficit enim scire, quod ab artificibus etiam Lipsiae, et in tota Elect. Sax. vncia in quatuor partes diuidatur et quaelibet in dimidiam. Interim quia pes hodie vti olim, in duplices digitos, XII. nempe maiores, aut XVI. minores forsitan diuiditur, hinc non aequalem pedi vbique assignare possumus qualitatem, praecipue vero, cum non tantum diuersae regiones, *b)* sed diuersae quoque ciuitates, imo diuersi mensores vnius eiusdemque loci, modo longiores, modo breuiores vncias pedesque constituant. Sic v. g. MARSMANNO *c)* pes Graecus dimidia vncia longior dicitur pede Romanorum; Sic 200 pedes Lipsienses per 18. vlnas Brabandicas et $\frac{63}{100}$ particulas breuiores dicuntur Brabanticis. Quanta vero inconuenientia ex tali exoriatur incertitudine, pluribus dolet apud MARSMANNVM *d)* *Iacob* MEYER. *e)* Clarissimus *Christian* WOLFF *f)* idem fere dicit: Weil aber der Maßstab (i. e. nostro idiomate der Zollstab) willkührl. ist, so kan man leicht erachten, daß nicht an allen Orthen der Schuh von gleicher Größe sey. Clarius haec expo-

x) COVARRVV. *variar. resolut. L. 2. T. 2. c. 23. n. 5. p. 194.*

y) Iacob MENOCHIVS *de arbitr. Iudic. quaest. L. 2. cent. I. Cas. 2. n. 12.*

z) quorum ius exhibet Consultissimus Dn. Joh. Gottlieb Siegel Disp. *de iure pedum.*

a) P. I. dec. 16. quaest. 16. n. 7. a MARSMANNO allegatus.

b) vti luculentissime et ad oculum quasi relatiue demonstrant die deutsche Acta Eruditorum P. 217. p. 57. *c) p. 36.* *d) p. 22.* et MÜLLERVM.

e) Comp. Geometr. pract. p. 3. *f)* Auszug aus denen Anfangsgründen aller Mathematischen Wissenschafften p. 67.

exponit Praeclarissimus Dn. Professor Mathematum Lips. in Calendariis Lipsiensibus Anni 1738. Nos tamen, cum diuersitas pedum ius non variet, introducta prementes iuris vestigia illam pedum supra descriptam artificum plurimorum (quod sc. pes vt plurimum sit totum 16. digitorum) retinemus, licet diuersam, longitudinem et quantitatem, quae iuxta patriae nostrae, vt et secundum Ducatus Bremensis, imo forsitan per totum fere orbem receptam mensuram, vlnae semissem, et sic in nostra doctrina parum differentiae constituit; Secus enim est, si agrimensorum pedes in rebus longius distantibus multum differunt. Si nunc igitur vlna paululum longior, aut breuior existat, hoc nihil ad nos, cum nos, non de vnciarum et pedis comparatione, sed de iure, quod tres tantum pedes quocunque in loco, vbi ius Saxonicum obseruatur, quoad fornacem aerariam tribuit, differamus, siue in illo loco laxior, siue breuior pes floruerit; sicque non obstabit, an in toto terrarum orbe duo pedes vnam conficiant vlnam; Lipsiae per consequens breuiorem, Brabantiae longiorem?

§. VI.

Quid sit paries?

Propius itaque accedimus ad eam, quam prae aliis ventilandam suscepimus, de communi pariete doctrinam a nemine hactenus excultam, imo ne quidem a GLOSSA in dictos iuris nostri prouincialis textus verbulo delineatam. *Paries* quiuis loco limitum est, tam in vrbanis, quam in rusticis praediis, *g*) hinc in sensu lato maceries quoque nobis paries appellatur. *h*) Non tamen quiuis paries pariter ac alter est duraturus, si enim saltem linteaminibus, vel asseribus, aut simili instrumento termini circumscriberentur, paries nec igni, nec furibus resisteret; nihil itaque aptius ad celanda et custodienda domus arcana potest esse pariete latericio altiori, vtpote qui in stricto sensu paries audit, et nobis praecipue differendi occasionem praebuit. Interim tamen hic parietem in genere simul omnem dicimus structuram, quae a solo in altum surrexit, ita, vt etiam sepes *i*) parietem constituat in rusti-

g) *a. l. 4. §. pen. ff. fin. reg.* *h*) *l. 157 ff. de V. S. Io. Theodor.* SPRENGER *Tr. de domin p. 41.* MÜLLERVS *diss. cit.* *i*) *arg.* Weichb. *a. 123. it.* GLOSS. *ad a. 50. l. 2.* Landr. *n. 3.*

rusticis praediis, in vrbanis vero obstaculum vtplurimum coaxatum, si modo non ad aemulationem tendat, sed parietis instar sit; quia paries non semper fit ad ferendum onus tectorum, neque semper obductus est ad interiora aedificii vacua obuallanda, cancellis enim interdum fenestrae tantum *k*) muniri solent: Quare VITRVVIVS *l*) id appellat parietem latericium, quod alio nomine *murus* TACITO appellatur. (Germanice eine Mauer.) Muri autem, vti parietis, varia sunt genera, alius enim v.g. vocatur *proprius*, alius *alienus*, alius denique *communis*, id, quod ex relatione artificum constabit. *m*) Porro alius est *tenuis*, alius *crassissimus*. Horum itaque parietum iura in subsequentibus praesertim perlustraturi sumus, et vbi primo in genere quaedam praemonuerimus, post modum de singulis in specie verba facturi sumus. Communio enim vel priuato, vel vniuersitati competit, vtraque vel cum, vel sine conuentione introducitur. *arg. l. 31. ff. pro socio. n*) Quum vero omne illud commune sit, quod ad plures pertinet: *a. l. 46. ff. de R. N.* hinc paries quoque *communis* est, qui ad plures spectat. Talem communiter aedificant vicini. *o*) Imo naturali quoque ratione communis est paries, qui vtriusque domus onera gerit, ac sustinet. *p*) Prior Germanis appellatur eine gemeinschafftliche Wand, a quo valde differt, qui Germanis dicitur eine Scheide-Wand, Latinis sine dubio paries intergerinus, vtpote qui aedes vicini ab vlterioris vicini aedibus aut fundo vacuo tantum discernit, atque separat, non vero vtrique, sed vni saltem proprius est pure ac per totum. Plerique enim vicinorum aedes vel possessiones suas parietibus, qui intergeruntur, communibus ad vtriusque vicini onera ferenda disterminare solent *q*): Interdum vero vicinus parietem, quoad ius tigna immittendi quidem non communem, sed vicino penitus proprium exstruit. Quandoquidem igitur

k) *a. l. 41. §. 10. de Leg. I. l. 12. §. 26. ff. de instruct.* *l*) *d. l.* *m*) d. KOCHEN. P. 3. c. 2. n. 2. *n*) *§. 3. I. de Obl. quae qu. ex contr. nasc.* *o*) *d. l. 52. § 13. ff. pro soc.* Leipziger *Stat. d. l. a. C. A. V. I. p. 1888. sequ. v. supra §. 2. circa f. et §. 3.* *p*) *a. l. 8. ff. de S. P. V.* *q*) *l. 4. §. 10. ff. fin. reg. l. 6. §. 1. ff. comm. praed.*

igitur hic loci occupati ſumus circa iura vicini in vicini fornacem, ea autem nihil aliud ſunt, quam praedium qualiter ſe habens ad fornacem *l. 86. ff. de V. S.* ideo ius, de quo nunc agimus, nihil denotat aliud, quam qualitatem parieti ſiue proprio, ſiue alieno, ſiue communi annexam, ex eo, quod aut penitus, aut tantum ratione limitum vel conſpectus communis eſt, quatenus communis eſt, vel quatenus diuerſorum dominorum praedia vel poſſeſſiones intuitu fornacis ſeiungit.

§. VII.

[Qu]id vicinus? Perſonae, quibus ius hoc competit, debent eſſe vicinae, h. e. *quorum* praeprimis *habitationes vel aedes, aut mercium ſaltem depoſitiones, in diuerſis aedibus adeo contiguae ſunt, vt niſi paries intermedius confines domus et poſſeſſiones diſcerneret, nemo ſcire poſſet, quousque alterius limites ſe extenderent*, *anque habitatio vel poſſeſſio ad vnum tantum, r) an vero ad diuerſos pertineret.* Neque ſemper hic differt dominus aedium poſſeſſionatus ab inquilino non poſſeſſionato, vt puta qui licet non directum, tamen vtile ius prohibendi habere videtur, quia actio propter nociuam fornacem aerariam hodie videtur competere cuiuis de populo *arg. dict. Mand. El. Sax. s)*. Sed hoc ſenſu vicinus in odioſis et in ſenſu ſtricto ſemper accipitur *t)* quamuis alias in latiori ſignificatu *arg. l. 6. ff. de aqua et aqu. pl. arc.* etiam illi dicantur eſſe vicini, *qui ex oppoſito habitant, ita, vt aliqua via ſit in medio*, quousque nempe vox hominis acclamantis exaudiri poteſt, quod tamen de voce communi, non nimis gracili accipiendum monent communiter Dd. Addamus et latam ſignificationem ex MEVIO *u)* qui ex ratione ſtatuti Lubecenſis vocem: Nachbarn ita definiendam putat, vt ii quoque pro vicinis habeantur, quos attingit periculum et incommodum, ob quod exercitium artis ſaepe nociuae et moleſtae non admittitur; ſiue proximas aedes et habitationes poſſeſſionesue habeant

r) *conf. l. 6. §. 1. ff. comm. praed.* *s)* §. So haben wir ꝛc. *it.* §. Und wir ꝛc. *C. A. V. I. p. 1885. arg.* Leipziger Feuerordnung *de An. 1735. §. 1.* *t)* *a. l. 22. ff. comm. diu. l. 43. §. 1. ff. de damn. inf.* *u)* *in iure Lubecenſi p. 248. L. 3. art. 12.*

habeant, ſiue remotiores, ſiue collaterales ſint ſiue e regione. Vicinos itaque hic praecipue eos appellamus, *qui iuxta fornaces non in alia inſula, ſed in alia domo ita habitant, vt collaterales immediate ſint, non vero vicini ex oppoſito.*

§. VIII.

Quomodo p[a]ries conſiderandus?

Parietem autem hic non intelligimus alium, quam qui, et quatenus in confinio eſt ignis vicini, quo ipſo ratio periculi, praeſertim cum moleſtia coniuncti indigitatur. Diuiſiones parietis iam ſupra *§. 6.* enumerauimus, in ſpecie vero ad noſtram deueniendo, praecipua et principalis eius diuiſio haec eſt, quod paries 1) vel alteri pure proprius, vicino tamen quoad adſpectum communis ſit, vel 2) vtrumque agnoſcat dominum, et ſic iterum communis ſit, vel pro diuiſo vel pro indiuiſo, vti ſupra *§. 6.* hanc diuiſionem explanauimus. Eſt autem pro indiuiſo talis, vel ex ſocietate expreſſa, quo forſitan pertinet *l. 52. §. 13. ff. pro ſocio.* vel ex ſocietate tacita et incidenti, quod fit, quando quis imponit tignum dimidium parietis transgrediens, et alter itidem, et ſic vterque, prout cuique expedit, eo vtitur. *x*) E contra pro diuiſo communis eſt, quando ius vtriusque ad centrum vsque ſe tantum extendit, atque vel nihil ab vtraque parte eſt immiſſum, vel ſi eſt immiſſum, non perforat parietem vltra medietatem. Abſoluta tractatione generali procedimus ad ſpecialia, quae circa parietem noſtrum conſideranda veniunt, et quod parietem eique annexam communionis quantitatem attinet. Signa nimirum et indicia, vnde dominium eius probari poſſit, aut euidentia ſunt aut non. In compendio enim haec exponuntur a *Ioh.* SCHERBAVM *y*) atque peculiaris huius iuris pertractatio alias tam late ſeſe effundit, vt limites diſſertationis noſtrae excederet, et tamen hic parum ad rem faceret: Cum fornax opificis aeraria in dubio quoque indiſtincte per tres pedes a vicini limitibus diſtare debeat. z) An vero interuallum hoc debeat

x) *a. l. 31. et l. 4 ff. pro ſocio.* CAEPOLLA, *c. 40. Ant.* THESAVR. *Dec. Pedemont. dec 23. et 219.* conf. *l. 6. §. 1. ff. comm. praed.* *y*) *Diſſ. I. de pariete communi. Arg. 1671.* habita, *th. 9.* *z*) *a.* Lande, *c. l.* Weidjb. *c. l.*

beat esse interstitium v. g. ab extremo parietis vicini vsque ad extremum fornacis, an vero tantum vsque ad vacuum internum huius? hoc nemo docuit. Praesupponimus interim quaestionem praeiudicialem, a quo et cuiusnam sumtibus exstructus, in cuiusue dominio sit paries, et quae sit eius crassities, iam aliunde decisam atque certam. Sicque enim constabit, quousque cum fornace aeraria appropinquare liceat, etiamsi adsit alienus, communis vel proprius paries. Significatio *artificis* peti potest ex aliis, *a*) atque hic est superflua, imo studio eam omittimus, ne in alias lites incidamus hic frustraneas, quas neque angustia spatii neque instituti ratio permittit.

§. IX.

[Q]uamnam [fo]rnacem intelligimus?

An vero fornax aeraria etiam dici possit species quaedam camini? aliis examinandum relinquimus. *b*) Fornax interim forsitan dicitur a *fornum* quod significat: *calidum*, atque prodigis quasi ligni non contemnendum ignis compendium ante aliquot annos Lipsiae in 4to delineauit *Georg. Andr.* COG, LL. Stud. in Tractatu **besondere Oeconomische Künste** *vsque ad p. 52.* Vti vero nos non in genere de quauis fornace, (cuius structuras vtilissimas egregie inuenit et excoluit Experientissimus D. *Ioh. Christian.* LEHMANN, *Phys. P.P. Ord. et Med. Instit. Extr. Acad. Leopold. Carolin. Natur. Curios. et Societ. Pruss. Membr.*) sic neque hic de fornace aeraria publica, quae vel ad res vniuersitatis vel ad dominos officinae ferrariae (Germ. **die Hammer-Herren**) pertinet, et in qua vtplurimum extra ciuitatem metalla magna in copia conflantur. *c*) Nam eiusmodi fornaces maiores vtplurimum, licet Principis sint, ad minimum in loco ciuitatis ab aedibus remoto sub dio extructae deprehenduntur. Nec de qua-

a) v. g. ex *B. Frider.* PHILIPPI *Disp. de Collegiis opificum, Lips. 1680.* habita.

b) Originem camini ita profunde ex S. S. eruit. *Ioh.* HERING. Disp. *de Caminis. Frf. 1625.* vna cum *eiusd. tract. de molendinis* edita; vt cum ea illustrationis ergo conferri mereatur Viri Summe Reuerendi D. *Ioh. Christoph.* HEBENSTREIT Disp. *de Dauidis sui cum vtre in fumo comparatione Ps. 119. v. 83. Lips. 1728.* habita, *§. vlt.* Ius veró quoad fornaces obseruandum ex antiquissimo tempore illustrat *Casp* ZIEGLER. Diss *de Calendis Ianuarii §. 16.*

c) quarum formam sistit SAAVEDRA *Symbolo 84.*

qualibet fornace opificis ſermonem facimus. Priuata enim fornax aeraria aut enormem vim ignis, adeoque per ſe periculoſum quid expoſcit, v. g. campanas fundentium lebetariorum, aut minori (et tamen per accidens nociuo) indiget igne, qualis eſt fornax officinae aerariae aurifabrorum. Et de hac poſteriori ſpecie, ſcilicet de fornacula aeraria, non chymici ſimilisue, ſed de officinae priuatae, licet priuilegiatae *d*) ſi non per diſtantiam iure prouinciali praeſcriptam a pariete alterius remota eſt, hic nobis agendum erit, ſiue de *ſtructura artificis ad ignem fuſorium modicum in aedibus priuatis licita.* Priuilegium enim in hoc caſu ius commune non variat, cum Ius quoque Electorale Saxonicum omnes fornaces periculoſas aut tolli, aut tuto in loco conſtitui iubeat. *e*) Id quod praeſertim de fabricis artificum copioſis, non vero de ſecurioribus chymicorum ſimiliumue laboratoriis intelligimus. Cum illi, qui non opificium, ſed chymiam, medicinam, aut ſimile quid exercitii gratia vel ex profeſſu colunt, tanto igne perpetuo non indigeant, qualis hic praecipue in prohibitionem venit. Imo nequidem illi ſub hoc mandato comprehenduntur, qui pretioſa ſua conflare ſciunt. Ratio: quia eorum ignis ad minimum non eſt adeo diuturnus, imo ex tali fornacula, licet parieti pro diuiſo communi vel maxime ſit coniuncta, vicino tamen nihil inde facile metuendum ſit periculum, ſi paries communis eſt integer atque in illo loco vti *§. I. in med.* dictum craſſiſſimus. Maiores vero opificum clibanos fuſorios (vt ita loquamur) iam extra ciuitatem conſtitutos videmus.

§. X.

Explicatis hoc modo terminis et definitionibus nominalibus nihil nos morari poterit, quo minus ad definitionem realem pro- *Explanatio rubri.*

 gre-

d) Hinc celebratiſſimus D. Gottlieb Wilhelm Dinckler in Reſponſo ſuo 1. monet 2. Niemand könne ſich eines Nutzens aus einem Priuilegio anmaſſen, als in ſo weit ſelbiger ihm mit deutlichen und klaren Worten gegönnet worden.

e) in Mand. El. d. in verbis: Die Wind- und andere dergleichen gefährlichen Oefen entweder gänglich wegſchaffen, oder doch aufs beſte verwahren ꝛc. Conf. CAEPOLLA *c. 51. n. 3.*

grediamur. Sit ergo *ius in vicini fornacem aerariam* facultas, quae potissimum intuitu parietis, quatenus confinis aut communis est, atque sic tam proprietario aedium proximarum, quam vsufructuario, similiue, imo cuiuis inhabitatori competit, ad prohibendum ignem fusorium, non chymici sed opificis, qui parietem intermedium vel immediate tangit, vel non legitime ab eo distat. Reliqui enim vicini saltem ius prohibendi habent, si fornax illa per se sit publico nociuus, et sic periculum ipsis quoque ab ea immineat. Quae quidem definitio nulla indiget explicatione modo animos ad triplicem attendamus respectum, quem hoc ius habet, ad personas scilicet, parietem ipsum, atque speciem ignis *g*) illiusque interuallum; cuius computationem et explicationem nequidem GLOSSA d. l. exhibuit.

§. XI.

ulpa vi- 'a leuissi-

Quamnam autem ceterum diligentiam quoad fornacem aerariam quilibet artifex adhibere debeat hoc colligere licet ex d. Mandato: **Insonderheit haben diejenigen Handwercker, welche bey ihrer Arbeit starck Feuer halten müßen, auff das Feüer wohl Acht zu geben, bey Anlegung des Holtzes und der Kohlen sich aller Vorsichtigkeit zu gebrauchen, die Nacht hindurch, wo mögl. kein Feuer zu halten, dergl. auch nicht eher, als des Morgens früh um 4. Uhr anzumachen und solches nach vollendeter Arbeit besonders des Abends, ehe sie davon gehen, wohl auszulöschen, oder doch wenigstens vorhero mit Asche zu bestreuen.** *b*) Hinc quoque sequitur, quod nemo de nouo officinas fabrorum sine consensu Magistratus aut vicinorum erigere possit in eo loco, vbi eae antea non fuerunt. Praeterea aurifabri lebetarii, (Rothgießer) et similes, saepe periculosam atque tunc intolerabilem artem exercentes in iis aedibus sine magistratus aut vicinorum consensu eam nec instituere, neo exer-

g) Ignis species illustrat Experientissimi *Ioh. Friedr.* HEBENSTREIT, Disp. *de Speculis vstoriis.* Lips. 1727. et B. *Iac.* THOMAS. Tr. *de Stoica mundi exustione.*

b) *C. A V I p 1886.* conf. *O Metall E.S de An. 1589 art. 16. et 31 V. 2. p 193. et 200.* in verbis: Die Silberbrenner sollen die Silber, ohne sonderliche Ursach nicht bey Nacht, sondern bey Tage brennen.

exercere debent, prout hoc colligimus ex d. *Mand. El. S.* Porro magistratus quoque ex officio fornaculas opificis aerarias interdum tollere potest. Si enim illam speciem camini, quam Windofen vocamus et tubulos (die Windofenröhren) tollendi interdum facultatem habet, sequitur, quod multo magis de fornaculis officinae aerariis illegitime exstructis hoc asserendum sit. In d. enim *Mand. El. S.* sancitum est: So soll auch die Obrigkeit fernere gute und benöthigte Verfügung zu treffen, und bedürffenden Falls wieder die, so mit Feuer unbedachtsamer Weise umgehn, oder sonsten dieser unserer Ordnung und ihren selbst eigenen darnach gemachten heilsamen Anstalten zu wieder durch Verwahrlosung handeln, nach Befinden mit der Schärffe zu verfahren, und sich dißfalls ihres Obrigkeitl. Amts- und Gerichts-Zwanges (v. g. **die gefährl. Feuerstätte einschlagen zulaßen**) zu gebrauchen haben wieder welcherley Obrigkeitl. Verfügungen denn auch keine Klagen oder unnöthige und wiedersetzl. Exceptiones gelten und angenommen, da auch gleich dawieder an uns prouociret und appelliret würde, solches dennoch in so weit keine vim suspensiuam haben, wohl aber wegen derer dergestalt eingewandten Appellationen so fort jedesmahl zu Unserer Landes-Regierung behörige Berichte, zu fernerer Resolution darauff, und nach Befinden zu Bestraffung deßen, so friuole appelliret, erstattet werden sollen. Vnde nunc in *Stat. Lips. p. 3.* cauetur, daß die gefährl. Feuerstätte, quales sunt fornaces opificis aerariae, non rite exstructae, sollen eingeschlagen werden. Cui MEVIVS ex iure Lubecensi *p. 245.* addit. *Et licet antiquitus ius exercendae eiusmodi artis in aedibus fuisset, vicennio non exercitum rursus amitti. Generale praeterea iuris Lubecensis axioma est, quod sine consensu vicinorum nemini eas artes atque opificia incipere atque exercere permittendum sit in aedibus, vbi antea non fuerunt, Vnde vicino periculum vel incommoditas magna imminet, vti hoc textus exprimit, i)* gefährl, unleidl. Handwerck mögen

i) *sc. iuris Lubecensis,*

mögen in denen Häusern nicht angerichtet, noch verübet werden da sie zuvor nicht gewesen, ohne der Nachbarn Willen. Latius itaque in hoc textu prouisum est vicinorum securitati atque commoditati, quam vt pro lubitu cuiuis emere et conducere liceat aedes, et in iis ea exercere, quae sunt artis atque professionis suae. Hoc enim beneficium ob securitatem publicam vnicuique vicino indultum videtur, vt nempe quilibet eorum tam dominus aedium, quam inhabitator, id genus artis, ex quo periculum nascitur, aut tranquillitatis turbatio exsurgit, indicare possit ac debeat, siue emtae, siue conductae sint aedes ad fornacem opificis aerariam exstruendam et vsurpandam. Siquidem libertas aedificandi, aut quid in suo habendi, quae ex iure gentium omnibus competit, Lipsiae sine dubio restringitur hisce in casibus, cum nequidem furni, et fumaria, aut ignis receptacula absque permissu magistratus est exstrui possint. *k*) Imo ius Lubecense quoque vicinorum non tantum permissionem, sed expressum quoque consensum requirit, *l*) in officinas.

§. XII.

...ndamentum ...is in forna... ...v, ex iure in ...t

Ex superioribus §. §. itaque sponte fluit, quod opifici neque in ciuitatibus neque in suburbiis, iuxta murum, vel parietem alterius fornacem habere aerariam inuito vicino liceat; quia per hunc ignem torretur murus *l. 13. ff. de S. P. V.)* porro: quod ille, qui ex imperitia artis vicino damnum infert, Lege Aquilia teneatur. (*§. 3. 7. 8. I. ad L. Aqu. l. 132. ff. de R. I. l. 8. §. 1. ff. ad. L. Aqu. Ord. Crim. a. 134.*) Nunc in iuris huius qualitatem inquiramus. Sub iudice fere lis erit, an personale, an vero reale, an mixtum sit, et ad quamnam speciem iuris in re referri, quomodoue ab aliis iuribus distingui debeat? Prout hoc quidem constitutum iam est, et quatenus a nobis *§. 10.* accipitur, ad quandam speciem iuris ad rem siue obligationum praecipue referri posse non videtur, quia omnis obligatio principa-

k) Leipziger Feuer-Ordn. *§. 16.* conf. Consultissimi D. *Thomas* HAYME Juristisches *Lexicon*, voce: Feuer-Ordn. *l*) MEVIUS *p. 251. n. 20. a. 13.*

cipaliter tantum afficit perſonam, eique neceſſitatem aliquid praeſtandi imponit, ita tamen, vt ipſa res nondum deuincta ſit, nobisque obnoxia, obligatio enim non facit ſimul corpus aliquod noſtrum, ſed perſonam tantum adſtringit ad aliquid dandum, vel faciendum, vel praeſtandum, perhibente PAVLO *in l. 3. ff. de O. et A.* Hoc autem ius noſtrum potius *finium regundorum* ius largitur, et principaliter rem, h. e. ipſam fornacem afficit, quatenus ea nimis in confinio eſt. Imo licet per conſequentiam et ex ipſo ſuo facto perſona vicini ſimul obligetur et conueniatur, (dum opifex periculoſum hoc inſtrumentum, tollere aut legitime cuſtodire recuſat) ius tamen fornacis noſtrae pro parte ex iure in re et potius fluere videtur. Verum enim vero, cum vulgo quinque iuris in re ſint ſpecies, dominium, ſeruitus, pignus, haereditas et poſſeſſio, non immerito ſecundo loco quaeritur: ad quamnam harum quinque iurium in re ſpeciem referri, aut a quibus diſtingui debeat? Quoniam igitur quiuis vicinorum, aut ipſum dominium et proprietatem, aliudue ſaltem ius habet in pariete intermedio, vel vsque ad centrum illius (nam ſuum quisque poteſt dicere, quod cum alio commune habet) *m)* etiamſi paries quoad adſpectum quoque alteri communis dici poſſit: hinc nemo non primo ſtatim intuitu perſpicere poteſt, ius hoc partim referri poſſe ad dominium quod nihil aliud eſt, quam ius, quo res corporalis ſingularis eſt noſtra, id eſt nobis propria, atque ſic vel paries ad nos in totum pertinet, vel ſaltem vsque ad dimidium. Porro ius in vicini fornacem aerariam ad ſeruitutem interdum referri poteſt, ſi nempe paries nobis tantum ſeruit, vbi fornax aeraria a tigno immiſſo ſaltem remouendus eſt. *n)* Quoad poſſeſſionem vero tantum eatenus differt, quatenus dominium et poſſeſſio, cuius differentias ſat copioſo numero adducit CALVINVS, *o)* cum nimirum detentio rei, quae noſtra non eſt, quam tamen animo

domini

m) l. 46. ff. de R. N. l. 74. de leg. 3. l. 25. l. 239. §. f. ibique GOTHOFR. *ff. de V. S.*
n) a. l. 6. ff. comm. P.
o) Lex. Iurid. p. 292.

dominii ad nos pertinere putamus, idem ius operetur prohibitionis, quod ex dominio deducebatur. Cui etiam adstipulatur IAVOLENVS *in l. 115. ff. de V.S.* qui *possessio,* inquit. *ab agro iuris proprietate distat; quicquid enim apprehendimus, cuius proprietas ad nos non pertinet, nec pertinere potest, hoc possessionem appellamus.* Possessio ergo vsusfructus, ager proprietas est, loci. Ius igitur de quo nunc agimus, constitutum esse in re vel propria vel possessa, ex ante dictis patescit. Praeterea ad pignus interdum referri posse certum est, licet pignus sit tantum *ius in re debitoris ob securitatem crediti constitutum.* Necessario enim pignus seu accessorium aliquod praesupponit principale suum, quod est debitum. Ius vero in vicini fornacem officinae suae non semper est ius quoddam per se subsistens, sed creditori hypothecario quoque vtiliter concessum. *p*) Haereditate denique acquiri posse hoc ius, nullum prorsus est dubium. Nunc autem quale ius habeat vicini inquilinus, quaeritur? rs. idem, quod ille a quo causam habet et a cuius iure participat, adeo, vt licet v. g. dominus aedium periculi euentum expectare velit, inquilinus tamen vel conductor tacere non semper teneatur, sed iure suo, quod quasi cum re conducta ad eum transiit, loco domini interdum vti valeat.

§. XIII.

iure ad petitum. Ius ad rem hac absoluitur quaestione: quidnam vnicuique cohabitatorum, in pariete, qui nobis pro communi accipitur, facere non liceat? Si regulam ex *l 13. ff. de S. P. V. et l. 19. eod.* petamus: *quoties nempe damnum vel parieti alterius intermedio, vel ipsi vicino, (siue is dominus aedium, siue conductor sit) ex facto detur, vel immineat, toties actus iste est illicitus, et a vicino prohiberi potest;* sequentes ex ea fluunt conclusiones; quod si huic parieti quicquam nocui infertur, (v. g. si parietem pro diuiso communem vicinus ad medietatem vsque cauare, et in hoc vacuum fornacem aerariam

p) *a. l. 4. §. 7. et 9. it. l. 12. ff. fin. reg.*

rariam immittere praesumserit) vicinus tunc rem nociuam parieti, vel immediate vel mediate immissam, aut propria authoritate perdere et diruere, *q*) aut negatoria alterum actione conuenire possit. *r*) Porro, 2) quod ignem iuxta parietem communem non quemlibet neque ex priuato publicum quasi aut immoderatam ac inconsuetam ignis conflationem facere liceat. Quod si enim nequidem tubuli fumarii in pariete alterius tolerantur, neque facile ignes maximi tempore nuptiarum, *s*) quia paries ab ipsis torreri dicitur, eo minus opificis ignis fusorius parieti communi vltra spatium legitimum admotus tolerabilis erit atque ignorante vel inuito vicino permittendus; ob paritatem rationis *l. 13. pr. ff. d. S. P. V. t*) nisi ille murus ad fornaculam fusoriam ponendam sit destinatus. *u*) In pariete pro indiuiso communi cauaturam etiam vltra dimidium fieri posse existimat dict. SCHERBAVM *x*) quia in omni parte parietis res dicatur communis laborare, et sic tunc quemlibet portionem in qualibet particula pro indiuiso habere, nisi paries cauaturam pati non possit. *a. l. 24. ff. de S. P. V.* verbi gratia si alter socius velit ab altera parte sua facere caminum; aut murus fieret adeo tenuis, vt etiam per temperatum ignem torreretur; socioue damnum inde eueniret, si ab vtraque parte tantas sustineret cauaturas. Porro ex antedictis sequitur, nulli opifici vicino competere facultatem, fornacem extruendi aerariam parieti alterius, vnius, vel duorum pedum spatio propiorem. *y*) Verum enim vero notatu dignissimum est, *Obiectio*
quod iuxta consuetudines Aurelianenses non nisi dimidium

q) *l. 29. §. 1. ff. ad L. Aquil.*
r) *a. l. 27. pr. ff. de S. P. V. l. 14. §. f. et l. 17. ff. si seru. vind. d. l. 29. §. 1. ff. ad L. Aquil.*
s) CAEPOLLA *c. 64. n. 6.*
t) *a. l. 19. de S. P. V. l. 27. §. 10. ff. ad L. Aquil. l. 28. ff. Comm. diuid.*
u) *a. l. 52. §. 13. ff. pro soc.*
x) *ib. 23.*
y) *a. d. l. 13. et 19. ff. de S. P. V. j.* Landr. *d. l. arg. l. 28. ff. Comm. diu. et C. 56. de R. I. in 6to. j. l. f. ff. fin. reg.* conf. §. 4. *supra.*

pedis inter furnum et parietem relinquendum ſit ſpatium, z) cumque paries ibi non diſtinguatur, v. g. in craſſiſſimum, hinc concludimus, neque quoad furnum praeciſe opus eſſe ſpatio trium pedum, cum experientia teſtetur, quod ſufficiat *ſemi*pedale ſpatium a pariete communi, qui vt plurimum pedalis eſt, et vbi fornicatus eſt ab vtraque parte *ſemi*pede augetur. Vnde forſitan quadrum fornacis aerariae ſpatium ſesquipedale a vicini limitibus tantum deſiderat, non trium pedum? Vti enim iuxta d. *conſuet.* furnus Aureliis *ſemi*pedali diſtantia indiſtincte forſitan contentus eſt, ita etiam apud nos forſitan idem ſpatium inter furnum ſufficeret; niſi lex aliud indeterminate ſanciret. Ex his enim ſaltem exercitii gratia, et ſaluo rectius ſentientium iudicio quaeſtio naſcitur: *Anne quadrum, quo exterius conſtat fornax opificis aeraria ſimili interuallo contenta eſſe poſſet; ſi bene et caute conſtrueretur, atque non iuxta parietem quidem ſolidum ac tenuem, ſed fornicatum, adeoque craſſiſſimum collocaretur?* Niſi Lex adeſſet tutior, nos facile hoc ſemipedale vacuum opifici concederemus, donec experientia contrarium doceret. Licet enim maior vis fornaculae, quam furni, tamen flamma tunc ab intimo rotundo et per murum, aut quaſi contra munitum pedale interſtitium a pariete craſſiſſimo, aut per pedale ſpatium a pariete tenui remota, non ſtatim parietis iuncturas rumpere, aut penetrare poſſet, quamuis vel maxime res ad incendium aptas ibi deprehenderet. Licet quoque ſciamus furni craſſitiem ſesquipedalem, fornaculae vero aerariae ſemipedalem eſſe. Imo licet haec interdum exterius excandeſcat, ille non. Vacuum modo illud tantum fingatur lateribusque ſecuritatis gratia coniungatur, ne carbones forſitan ſuperflui tranſiliant vel transiiciantur, atque in hac ſpelunca cumulentur, tandemque vacuum nociturum euadat.

§. XIV.

z) PYRRHVS *d. l. a. 199.* his verbis: *Entre un four et mur meſtoyen doit avoir demy demy pied' d'eſpace vuyde pour eviter le danger de la chaleur et l'inconvenient du feu.* Conf. *Statut. Wormat. P. IV. L. 5. t. 7. §. f.*

§. XIV.

Si paries pro diuiso sit communis, ita vt quilibet suam Obiectio partem vsque ad medietatem crassitiei sibi vindicare possit, tunc proprie non est communio, quia quilibet in sua dimidia parte *a*) pro lubitu poterit aedificare, ac tigna immittere, de quo casu forsitan accipienda est d. *l. 25. §. 1. de S. P. V.* quia hic non videtur amplius aedificare in alieno, sed in suo, neque partem vicini contingit; Immittendum tamen in quaestione nostra ita applicatur *b*) vt nihilominus alter cum fornace per legitimum spatium abesse debeat, terminum autem vsque ad centrum parietis computare possit, et quidem a vacuo interno fornacis, ne alias superfluum interuallum relinquatur quo vicinus forsitan melius vti potest. Immo Architectis relinquimus quoque quaestionis decisionem: num coniunctio cum pariete, vel remotio tutior sit?

§. XV.

Balneum in ipso communi pariete facere inuito socio Obiectio quidem licet, dummodo ex eo non laedatur paries *c*). Quamuis enim hic humorem capiat, nihil interest, modo flamma balnei paries non exuratur. Si vero talis sit vsus tepidarii, vt assiduum humorem habeat, isque vicino noceat, tunc nihil impedit, quo minus socius et balneum quoque prohibere possit. *d*) E multo magis fornacem aerariam opificis, cuius vis ignis violentior est, ita, vt vicinus in illam parietis partem, quae proxima est, sine metuendo damno nihil tuto recondere possit, quod calore est periturum, cum nequidem ipsa parieti immissa tigna tuta sint. Supra quoque *§pho vndecimo* ex *Mand. El. Sax.* prohibitum retulimus ignem officinarum nocturnum. Ex hoc itaque sine dubio praeterea fluit, etiam fornacem opificis aera-

 riam,

a) *l. 25. §. 1. ff. de V. S.*
b) *a. l. 8. C. de seru. l. 24. ff. de S. P. V.*
c) *d. l. 19. ff de S. P. V.*
d) *d. l. 19. in f. pr. a. l. 27. §. 10. ff. ad L. Aquil.*

riam, licet per legale distet interstitium, ad ea referri posse periculosa instrumenta, quorum in media nocte non facile concedendus est vsus.

§. XVI.

…nes circa …cem ae… …n 1. per… …s,

Actiones de eo, quod vicinorum in casu nostro interest, siue remedia pro iure suo circa fornacem aerariam vindicando, vicino competentia, vel in personam sunt, vel in rem, vel denique mixta. Hactenus enim dictum est, parietem intermedium quidem in genere ostendere limites, sed quoad fornacem aerariam alios praeterea fines eligendos esse atque constituendos, quod quidem vel sua sponte, vel iussu iudicis fieri potest. Hinc non nunquam quidem inter personales sine dubio occurrere poterit de re incerta *e*) actio illa *ex stipulatu* quae competit, quando vicinus alteri stipulata manu, vel pacto promisit, se plane fornacem aerariam in suo fundo erigere nolle, ad hoc, vt vel conuentioni stet, vel condemnationem in id, quod interest, patiatur. *f*) Ast tamen ex iure ad rem descendens personalis actio, magis accommodata doctrinae nostrae et in foro forsitan frequentior, est illa *ex stipulatu* specialior, siue *damni infecti* tum demum competens, *g*) quando vicinus cum altero vicinorum forte damnum, (e. g. mercium) ex fornacula exstructa eiusue vitio vel negligentia et omissione fornacarii (vt ita loquamur) metuente, pactum iniit, de damno, quod occasione istius fornaculae euenire posset, praestando. *h*) Casus fere similis nobis relatus est circa furnum, quem pistor in parte suae superficiei, super alterius cellam, permissu illius construxerat, ast hoc facto cellam alterius isthoc calore prorsus inutilem reddiderat. Tertia, quae vicino competere interdum videtur actio personalis *in factum* audit, et tunc sibi locum vindicat, quando vicinus, qui

e) *Pr. I. de V. O.* (vti TRIBONIANVS et VLPIANVS distinguunt *l. 24. ff. de reb. cred.* *f*) *l. 13. §. f. ff. de Re iud.*
g) *a. l. 6. ff. de damn. inf. j. §. 13. et 15. h. differt.*
h) *a. l. 28. l. 39. ff. de damn. inf. l. 27. §. 10. in f. ad L. Aquil.*

qui minus caute, aut ad locum, vbi res vicini in possessione constituti v. g. in apotheca priuilegiata collocatae pereunt, vel exsiccantur (et sic vires suas, v. g. medendi amittunt *bb*) attamen per legitimum spatium a vicini pariete remotam fornaculam posuit, de damno per se, vel facto fornacarii imminente satisdare iussus, non satisdederit. *i*) Quarta personalis actio ex damno iniuria dato siue ex *C. 3. L. Aquilae* prouenit. *k*) Si v. g. Sempronius fornacem aerariam iuxta parietem Caii vltra spatium nempe legitimum inscio vicino positam habuerit, aut igne nocturno vsus fuerit, et Caio aliiue vicino damnum exinde emerserit. *l*) Quinta denique occasione fornacis aerariae oriri potest actio personalis, quae dicitur *iniuriarum*. Cuius exemplum forsitan esse potest, si locus in fundo meo, vbi merces ab aestu solis abscondunter, aemulationis gratia a vicino, eiusmodi fornace aeraria molestia afficitur, sicque libertas fundi mei ab altero studio impediatur. Item si tempore nocturno requies prohibeatur, cum de periculo fornaculae mihi cogitandum sit, excitato igne ~~nocturno illicito magno et insolito.~~ Actione enim iniuriarum tunc ille tenetur, qui vicino re sua vti non permittit *m*) aut eius securitatem tranquillitatemue animo iniuriandi turbat.

§. XVII.

Reales actiones, quod attinet, hae ad consequendum dominium fornacis non tendunt, sed dominii nostri ius, legitimum- *2. reales.*

bb) conf. *B. Christia.* THOMASII Disp. *de iure circa pharmacopolia ciuitatum. c. 3.*

i) *a. d l. 28. ff. de damn. inf.* conf. *Gregorii* Riesens *Enneas Specierum facti. Arg. 1667. 4to* edita, vbi in casu primo quaeritur: *An actor damnum passus, incendium patrisfamilias: vel inquilini personae culpa excitatum fuisse probare debeat?*

k) conf. *Sam.* STRYCK. *Controu. For. Miscell. 22. Hal. 1706.* editam, vbi quaeritur: *An vicinus actor ad fundandam actionem suam, culpam et negligentiam certae personae probare debeat?* conf. *Io. Sam.* STRYCK. *Disp. de immunitate domini a periculo c. 2. n. 39. p. 19.* vbi dicit: *Huc pertinere, si conductor ignem, vt diligentem patremfamilias oportet non custodiuerit, etc.*

l) *d. l. 27. §. 5 §. 9. et 10. ff. ad L. Aquil.*

m) *a. l. 13. § f. ff. de iniur. a. l. 3. §. 2. ff. vti poss.*

mumque ſpatium in fornace opificis remouenda vindicant. Quamobrem nos conuertimus ad *Noui operis nunciationem*, quae forſitan realis actio eſt, quia illi competit, qui dominium, ſeruitutem, vel pignus, atque ſic iura in re *n*) habet, cuiusque intereſt, nouum opus non fieri *o*) quippe cum rem alterius quoque afficiat. Ex ſuperioribus conſtat, libertatis aedificantium regulariter eſſe, fornacem aerariam, in fundo ſuo, licet ea nondum ibi fuerit, exſtruere, modo id ab opifice fiat permiſſu magiſtratus. Hinc ſequitur, quod regulariter, adhibendus quoque ſit conſenſus vicinorum, vti in aedificatione domus, ne fornacis aerariae interiecto legitimo ſpatio facienda aedificatio, ad minimum ex aemulatione, aut moleſtiae gratia, aut clam inſtituit poſſit. Cumque id rationis ſit, ad quod iuris Saxonici ratio pertinet, vt, ad eos etiam legum porrigatur diſpoſitio, in his negotiis vero fieri nonnunquam poſſit, vt circa ocularem inſpectionem (gerichtliche Beſichtigung) vt plurimum vicinorum, (inprimis Iure Lubecenſi) *p*) habenda ſit ratio, horumque aliqui conſentiant, aut taceant, reliquis contradicentibus, hinc proximorum conſenſum magis attendendum exiſtimamus, quam remotiorum diſſenſum, ſi nempe horum non tanti, ſed minus ſaltem interſit, ibi non exſtrui fornacem moleſtam atque periculoſam; vbi vero par eſt remotiorum atque vicinorum periculum, aut incommodum, imo licet illorum minus, ipſorum tamen reſpectu inſignis obſeruanda eſt regula, quod *vbi plures audiri debent, vt ſinguli, ratione eius, quod cuiusque in ſpecie intereſt, ibi omnium requiratur conſenſus, adeo ut conſenſum maioris partis vnius tollat contradictio.* Veruntamen conſenſum non ad expreſſam ſaltem voluntatem, ſed etiam tacitam, quae patientia dicitur, pertinere cenſemus, ideoque, concludit MEVIVS, *E. ſi nullo contradicente, Iure Lubecenſi per annum, quis habitauerit, artemque non clam exercuerit, iuuabitur beneſi-*

n) *a. l. vn. §. 3 et 5. ff. de Remiſſ. l. 3. §. 6. ff. de N. O. N.*
o) *l. 1. §. 10. et 19. ff. d. t.*
p) MEVIVS *Lib. 3. Tit. 12. A. 12. n. 21. ſequ.*

neficio Iuris Lubecensis. q) Intrà illud enim tempus impediri oportebit, idque vel noui operis nunciatione, vel actione negatoria, quae pro quauis libertate rerum asserenda competit. r) Ideoque praeterea actione *negatoria* interdum forte conueniri potest ille, qui sua fornace aeraria nobis molestus existit, parietemue nullo sibi seruitutis iure obstrictum nouo opere grauat. Hac enim actione negamus opifici competere fornacem aerariam nobis in genere periculosam atque molestam, aut saltem nimis propinquam exstruendi facultatem. Libertatis naturalis est, si paries alterius fornace aeraria torretur, resue illius arescit, quod possit cohabitator agere, ius tibi non esse fornacem aerariam adeo propinquam habendi, *s*) scilicet si tu iure seruitutis hoc vel illo modo fornacem aerariam habere contendas, alias neque confessoria neque negatoria locum habere potest. *t*) Competunt enim dictae duae actiones intuitu seruitutis, quod autem vicinus commune habet, id iure dominii, non iure seruitutis vindicat.

§. XVIII.

Idcirco potius agendum actione mixta *communi diuidundo, l. 3. §. 1. et 2. ff. de N. O. N.* cum in re communi nemo dominorum iure seruitutis neque facere quicquam altero inuito possit, neque prohibere, quo minus alter faciat; quia nemini res sua seruit. *u*) *3. mixta,*

§. XIX.

Occasione fornacis aerariae interdum competunt quaedam actiones *praeiudiciales*, v. g. cum alter ab altero in intermedio pariete socius esse negetur, ad hoc, vt prius quaestio de proprietate, an nimirum talis aliqua inter vicinos ratione parietis communis existat *x*) expediatur, et tunc demum, an alterutri fornacem adeo proximam habere permittatur. *y*) *4. praeiudiciales.*

§. XX.

q) *art. 2. t. 8. L. 1.* *r*) *d. art. 12. no. 24.*
s) *a. l. 14. in f. l. 17. pr. ff. si seru. vind.* *t*) *l. 26. ff. de S. P. V.*
u) *d. l. 26. ff. de S. P. V.* *x*) *quam resoluit d.* SCHERBAVM *th. 9.*
y) *a. § 13. l. d. act.*

§. XX.

dictum ossidetis,

Processus diuiditur in ordinarium et summarium, et hic *in talem specie* et *inhibitiuum.* z) Itaque ob praesens et vrgens malum interdum vsurpari possunt remedia possessoria, siue interdicta competentia, pro retinendis aut restituendis. Prioris generis est interdictum prohibitorium et reale *a*) *vti possidetis,* quo sine dubio vicinus, qui in possessione parietis sui intermedii turbatur, inhibitiuo processu, et imploratione tantum officii iudicis, *b*) intra annum experiri potest, aduersus vicinum opificem, qui, per molestiam ignis perpetuo, ex fornacula aeraria, aut non satis remota, parietem penetrantis, proprietate illius parietis, antiquaue eius possessione pro arbitrio vti, iusque suum exercere, prohibet. *c*) Sic enim iure Lubecensi expresse vicinis, fornaces, non tantum iam nociuas, sed omne quoque molestum et in posterum forsitan nociturum, prohibendi facultas data est. *d*) Cum quo fere conuenit *d. Mand. El. Sax. dd. 7. Febr. 1719. e*) in verbis: Wind-Ofen und andre dergleichen gefährliche Oefen ꝛc. quaenam autem tales fornaces interdictae et tollendae sint, arbitrio iudicis relinquendum est. *f*) Ideoque interim haec inde forsitan nascitur regula: *Quaecunque fornax vicinis periculum et insigne incommodum parare potest, illa, propter hanc qualitatem g*) *non est toleranda.* Ratio, quia licet quidem fornaces per se sint licitae, hic tamen in dubio non tantum forte cuiusuis securitatis sed etiam quietae possessionis interest, ita potius habitare, vt antiquitus habitatum fuit. Si aliquis regerat, hoc Mandatum ad species non expressas extendi non posse, quoniam odiosa sint restringenda; huic respondimus, ab expressis determinandam esse qualitatem caeterarum, ita, vt de similibus idem iudicium recte fiat, et per con-

z) Dominus Praeses *in Principiis collegii processualis an. 1730. editis.*

a) *a. l. 1. §. 1. ff. vti possidetis. d. l. 1. ff. V. P.*

b) *a. l. 1. ff. de postul. et a. l. 2. de condict. ob turpem caus.*

c) *l. 12. ibique Gloss. ff. com. diu. a. l. 8. §. 5. in f. ff. si seru. vind. l. 3. §. 2. ff. vti poss. l. 11. ff. de vi et vi arm.* d) MEVIVS *d. l. n. 4.*

e) C. A. V. I. p. 1886. *conf. supra §. XI.* f) *d.* KOCKEN. *n. 23*

g) conf. *Balthas.* CLAMMERI *compendium iuris tit. 38. n. 4.*

consequens non permittatur, in loco alicuius rei vsum nec incipere nec continuare, quae idem grauamen, aut maius aliquod continet. Vnde hoc Mandatum eas tantummodo fornaces permittit, quae aliquid periculi non inuoluunt, v.g. einen Brat-Ofen. Imo ipsas quoque fornaces aerarias, non tantum opificum, sed chymicorum quoque, similiumue, a quibus nullum metuendum est periculum, prohibuisse non videtur. Ast prohibitae artis exercitium, nec in loco illo, quem ab alio loco propter periculum expulsi, ad stabiliendum istud artis suae exercitium, sibi elegerunt, instituere licet, si in subrogato aut maius, aut plane idem sit periculum et incommodum. Sic immutari interdum fornaces possunt, modo ex conuersione vel immutatione vicinorum incommoda non augeantur, alias itidem iusta erit eorum contradictio. Ita si v. g. prohibitae artis vsus, qualis est dictorum lebetariorum, decernatur in loco, vbi antea aurifaber fornacem suam ex concessione positam habuit, et ad campanas fundendas nunc alia extruatur officina; ratio huiusce prohibitae immutationis ex dissimili specie apparet, vicinisque non modo inuitis ius contradicendi datum est, ita vt iis consentientibus vbique liceat artem, quam quis didicit, exercere; sed rei publicae quoque interest, artem istiusmodi nociuam si publica aedium laedatur securitas, etiam volentibus prohiberi vicinis. Hinc in *Statutis Lipsiensibus i)* in genere prohibetur, ne, vbi certum genus camini fuit, illud absque praescitu Magistratus immutetur, vel ad alios vsus applicetur. Non tamen dubitamus, quin immutatio maioris fornacis in minorem, v. g. lebetarii in eam, qua aurifaber vti solet, priuata etiam authoritate commutari queat. Mutare enim in aliam formam facilius licet, quam noua inchoare. Considerandum igitur est, vtrum ex mutatione vicino aliquid iniuriosi concilietur nec ne? Quemadmodum enim deteriorem vicini conditionem reddere non licet; ita e contra tutiorem et commodiorem. Iuris enim naturalis est, ne, si quis absque nostro periculo aut mo-

i) §. 1. et 16. pag. 10.

lestia meliorem suam reddere possit conditionem, ei frustraneas moueamus lites *k*) cum aequum non videatur, prohiberi prodesse sibi, dum alteri non noceatur. *l*) Quare in tali casu vbi vicinus periculum vel damnum docere non potest, recte permittimus structuram laboratorii imo fornaculae aerariae innoxiam, licet vicinus quam maxime dissentiat. Quem enim consentire decet, eius non attenditur contradictio. *m*)

§. XXI.


Vbi vero vicinus ignis sui violentia vltra licitum, de facto nos expulit possessione fundi nostri, ibi executiue proceditur a Magistratu, *n*) si ad possessionem ab incommodo saluam recuperandam agimus ex interdicto personali *vnde vi*, cui intra annum vtilem in omni casu, quo quis a vicino vi ignis nimis propinqui deiectus est, quo minus actum v. g. mercium depositionem, quem ceu licitum, prope parietem communem intentauerat, effectui mandare queat, locus conceditur. *o*) E. haec actio praescribitur, eique post annum locus non datur.

§. XXII.

Datur denique sine dubio iis, quorum in re immobili vicini opus aliquod vltra legitimos fines factum non esse interest, interdictum personale quod *vi aut clam*, eo in casu si alter inuitis et insciis vicinis vltra terminos, fornacem suam, iis forte nociuam aut molestam exstruxerit, eosque sic de possessione iuris sui deiecerit. *p*)

§. XXIII.

Haec sunt, quae, non de laboratoriis, sed de fornacula artificum aeraria, nemine praeeunte exponenda habuimus. Nihil superest, quam vt huic opellae nostrae Lectoris fauorem, atque veniam erroribus qui forte propterea irrepserunt, precibus impetrare contendamus.



k) MEVIVS *d. l 3. tit. 12. art. 13. Addit.* *l*) *a. l. 20. §. 5. ff. de S. P. V. et l. 38. de R. V.*
m) *a. l. 22. §. 6. ff. sol. matrim.* *n*) *a. d. Mand. El. S. et Stat. Lips.*
o) *a. l. 1. §. 31. seq. l. 11. ff. de vi et vi arm. can. redintegranda 3. c. 3. q. 1. et c. saepe 18 X. de restitut. spoliat.*
p) *a. l. 1. §. 6. 32 33. et 34. ff. de vi arm. l. 1. C. si per vim. l. 15. §. 3. l. 21. §. 2. quod vi aut clam.*

❀ ❀ ❀